



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

290. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

## De confessione &amp; pœnitentia.

Burchard. lib.  
19. c. 2.

CCLXXXVIII. Presbyteri debent admonere plebem sibi subjectam ut omnis qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feria quarta ante quadragesimam cum omni festinatione recurat ad vivificantem matrem Ecclesiam, ubi quod malè commisit cum omni humilitate & contritione cordis simpliciter confessus suscipiat remedia pœnitentiæ secundum modum canonicis auctoritatibus præfixum, tradaturque Satanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Non solum autem ille qui mortale aliquod commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in baptismo accepit, peccati macula polluisse, ad proprium sacerdotem venire festinet, & cum

\* Burchard.  
puritate

\* purificatione mentis omnes transgressiones omniâque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur, & quicquid ei à sacerdote fuerit injunctum, ac si ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter intendat & cautissimè observet.

De pœnitentibus. *Ex Concilio Africano.*

Concil. Carthag. 3. c. 32.  
Lib. 5. Capitular. c. 53.  
Burchard. lib. 19. c. 40.

CCLXXXIX. Cujuscunque pœnitentis publicum & vulgatum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absolutionem manus ei imponatur.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

Conc. Agath. c. 159

CCXC. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum &



cilicium super capita à sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint aut vestimenta non mutaverint, abiciantur. [ *Editio Helmestadiensis ita habet: Si autem comas deponere aut vestimenta mutare noluerint, abiciantur.* ]

Burchard. lib.  
19. c. 27.

Item unde supra. *Ex eodem Concilio.*

CCXCI. In capite quadragesimæ omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes; ubi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri parœchiarum, cum testibus, id est, Presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent. & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungat. Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tum consurgens ab oratione, juxta id quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, dein cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu ac crebris suspiriis eis denuntiet quod sicut Adam projectus est de paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia ob peccata eiciantur. Post hæc jubeat ministros ut eos extra januas Ecclesiæ expellant. Clerus verò prosequatur eos cum responsorio *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* Genes. 3. &c. ut videntes sanctam Ecclesiam ob facino-

Burchard. lib.  
19. c. 16. &  
Di. 50. c. 64.